| 5 | <p>Et tunc, si ista duo ‘abstractivum’ et ‘intuitivum’ dividant omnem cognitionem, tam complexam quam incomplexam, tunc istae cognitiones dicuntur cognitiones abstractivae, et omnis cognitio complexa abstractiva, sive sit in praesentia rei, stante cognitione intuitiva extremorum, sive in absentia rei, et non stante cognitio intuitiva.’ Et tunc secundum istam viam, potest concedi quod cognitio intuitiva tam sensus quam intellectus sit causa partialis cognitionis abstractivae, quae praedicto modo habetur, et hoc quia omnis effectus sufficienter dependet ex suis causis essentialibus, quibus positus, potest effectus poni et, ipsis non positus, non potest poni naturaliter, sicut frequenter dictum est. Sed cognitio, qua evidenter assentio huic complexo ‘hoc corpus est album’, cuius extrema cognosco intuitive, non potest esse naturaliter, nisi stante utraque cognitione, quia, si res sit absens et cognitio intuitiva corrumpatur, intellectus non assentit evidenter, quod illud corpus, quod prius vidit album, quia ignorat utrum sit vel non. Sed respectu cognitionis apprehensivae, per quam formo complexum, non est cognitio intuitiva, nec sensitiva nec intellectiva, causa partialis, quia sine ipsis potest formari omne complexum, quod potest formari cum ipsis, quia ita in absentia sicut in praesentia.</p> | <p>Et tunc si ista duo, abstractivum et intuitivum, dividant omnem cognitionem tam complexam quam incomplexam, tunc istae cognitiones dicerentur cognitiones abstractivae; et omnis cognitio complexa abstractiva, sive sit in praesentia rei, stante cognitione intuitiva extremorum, sive in absentia rei et non stante cognitione intuitiva. Et tunc secundum istam viam potest concedi quod cognitio intuitiva tam intellectus quam sensus sit causa partialis cognitionis abstractivae, quae praedicto modo habetur. Et hoc quia omnis effectus sufficienter dependet ex suis causis essentialibus, quibus positus, potest effectus poni, et ipsis non positus, non potest poni naturaliter, et a nullo alio dependet, sicut frequenter dictum est. Sed illa cognitio, qua evidenter assentio huic complexo ‘hoc corpus est album’, cuius extrema cognosco intuitive, non potest esse naturaliter nisi stante utraque cognitione. Quia, si res sit absens et cognitio intuitiva corrumpatur, intellectus non assentit evidenter quod illud corpus, quod prius vidit, sit album, quia ignorat utrum sit vel non. Sed respectu cognitionis apprehensivae, per quam formo complexum, non est cognitio intuitiva – nec sensitiva nec intellectiva – causa partialis, quia sine ipsis potest formari omne complexum, quod potest formari cum ipsis, quia ita in absentia sicut in praesentia.</p> |
| 6 | <p>‘Sic igitur patet quod per cognitionem intuitivam iudicamus rem esse, quando est, et hoc generaliter, sive intuitiva cognitio naturaliter sive supernaturaliter a solo Deo. Nam, si naturaliter causetur, tunc non potest esse, nisi obiectum existat praesens in debita proximatione, quia tanta potest esse distantia inter obiectum et potentiam, quod naturaliter non potest potentia tale obiectum intueri. Et quando obiectum est sic praesens tali modo approximatum, potest intellectus per actum assentiendi iudicare rem esse, modo praedicto. Si autem sit supernaturalis, puta si Deus causaret in me cognitionem intuitivam de aliquo obiecto existente Romae, statim habita cognitione eius intuitiva, possum iudicare quod illud, quod intueor et video, est, ita bene sicut si illa cognitio haberetur naturaliter’.</p> | <p>Sic igitur patet quod per cognitionem intuitivam iudicamus rem esse, quando est, et hoc generaliter sive intuitiva cognitio naturaliter causetur sive supernaturaliter a solo Deo. Nam, si naturaliter causetur, tunc non potest esse nisi obiectum existant praesens in debita approximatione, quia tanta potest esse distantia inter obiectum et potentiam, quod naturaliter non potest potentia tale obiectum intueri. Et quando obiectum est sic praesens tali modo approximatum, potest intellectus per actum assentiendi iudicare rem esse modo praedicto. Si autem sit supernaturalis, puta si Deus causaret in me cognitionem intuitivam de aliquo obiecto existente Romae, statim habita cognitione eius intuitiva, possum iudicare quod illud, quod intueor et video, est, ita bene, sicut si illa cognitio haberetur naturaliter.</p> |

| | | |
|----|--|---|
| 7 | Si dicatur quod obiectum non est hoc praesens nec in debito approximatum, respondeo: Licet cognitio intuitiva non possit naturaliter haberi, nisi quando obiectum est praesens in determinata distantia, tamen supernaturaliter potest. | Si dicas quod obiectum non est hic praesens, nec debito modo approximatum, respondeo: licet cognitio intuitiva non possit naturaliter causari, nisi quando obiectum est praesens in determinata distantia, tamen supernaturaliter potest. |
| 8 | Et ideo differentiae, quas dat Ioannes inter cognitionem intuitivam et abstractivam, quod cognitio intuitiva est praesentis et existentis ut praesens et existens est', intelligitur de cognitione intuitiva, naturaliter intuitiva, causata naturaliter, non quando supernaturaliter causatur. | Et ideo differentiae, quas dat Ioannes inter cognitionem intuitivam et abstractivam, quod cognitio intuitiva est praesentis et existentis, ut praesens et existens est, intelligitur de cognitione intuitiva naturaliter causata, non autem quando supernaturaliter. |
| 9 | Unde, absolute loquendo, non requiritur necessario ad cognitionem intuitivam alia praesentia, nisi quod possit in actum intuitivum, et cum hoc stat quod obiectum sit nihil, vel quod sit distans per maximam distantiam; et quantumcumque distet obiectum cognitione intuitive, statim virtute eius possum iudicare illud esse sic, modo praedicto. Sed tamen, quia cognitio intuitiva naturaliter non causatur nec conservatur, nisi obiectum sit debito modo approximatum, in certa distantia existens, ideo non possum iudicare illud, quod cognoscitur naturaliter intuitive, nisi obiectum sit praesens. | Unde, absolute loquendo, non requiritur necessario ad cognitionem intuitivam alia praesentia, nisi quod possit actum intuitivum terminare. Et cum hoc stat quod obiectum sit nihil, vel quod sit distans per maximam distantiam. Et quantumcumque distet obiectum cognitum intuitive, statim virtute eius possum iudicare illud esse, si sit, modo praedicto. Sed tamen, quia cognitio intuitiva naturaliter non causatur nec conservatur, nisi obiectum sit debito modo approximatum in certa distantia existens, ideo non possum iudicare illud, quod cognitur naturaliter intuitive, nisi obiectum sit praesens. |
| 10 | Eodem modo per cognitionem intuitivam possum iudicare rem non esse, quando non est, sed ista cognitio non potest esse naturalis, quia talis cognitio numquam est, nec conservatur naturaliter, nisi obiecto praesente et existente, et ideo ista cognitio intuitiva naturalis corrumpitur per absentiam obiecti. | Eodem modo per cognitionem intuitivam possum iudicare rem non esse, quando non est. Sed ista cognitio non potest esse naturalis. Quia talis cognitio numquam est, nec conservatur naturaliter, nisi obiecto praesente et existente. Ideo ista cognitio intuitiva naturalis corrumpitur per absentiam obiecti. |

| | | |
|----|--|---|
| 11 | <p>Et posito quod maneat post corruptionem obiecti, ideo non oportet quod cognitio intuitiva, qua cognosco rem non esse, quando non est, sit naturalis, sed supernaturalis, quantum ad causationem vel conservationem vel quantum ad utramque; puta, si Deus causet in me cognitionem intuitivam de aliquo obiecto existente et conservaret illam cognitionem in me, possum ego mediante illa cognitione iudicare rem non esse, quia, videndo illam rem intuitive et formato hoc complexo 'hoc obiectum non est', statim intellectus virtute cognitionis intuitivae assentit huic complexo et dissentit suo opposito, ita quod illa cognitio intuitiva est causa partialis illius assensus, sicut prius dictum est de intuitionem naturali, et sic, per consequens intellectus assentit quod illud, quod intueor, est purum nihil quantum ad conservationem supernaturalem et non causationem.</p> | <p>Et posito quod maneat post corruptionem obiecti, tunc est supernaturalis quantum ad conservationem, licet non quantum ad causationem. Ideo oportet quod cognitio intuitiva, qua cognosco rem non esse, quando non est, sit supernaturalis quantum ad causationem vel conservationem vel quantum ad utramque. Puta, si Deus causet in me cognitionem intuitivam de aliquo obiecto, non existentem, et conservet illam cognitionem in me, possum ego mediante illa cognitione iudicare rem non esse, quia, videndo illam rem intuitive et formato hoc complexo 'hoc obiectum non est', statim intellectus virtute cognitionis intuitivae assentit huic complexo et dissentit suo opposito, ita quod illa cognitio intuitiva est causa partialis illius assensus, sicut prius dictum est de intuitionem naturali. Et sic per consequens intellectus assentit quod illud, quod intueor, est purum nihil.</p> |
| 12 | <p>Exemplum: Si primo de aliquo obiecto causetur cognitio intuitiva naturaliter, post quod, ipso obiecto destructo, Deus conservet cognitionem intuitivam prius causatam, tunc est cognitio naturalis quantum ad causationem et supernaturalis quantum ad conservationem.</p> | <p>Quantum ad conservationem supernaturalem et non causationem exemplum est: si primo de aliquo obiecto causetur cognitio intuitiva naturaliter, et post ipso obiecto destructo, Deus conservet cognitionem intuitivam prius causatam, tunc est cognitio naturalis quantum ad causationem et supernaturalis quantum ad conservationem.</p> |
| 13 | <p>Tunc est idem dicendum hic per omnia, sicut illa cognitio esset supernaturaliter causata, quia per istam possum iudicare rem esse, quando est, quantumcumque distet obiectum cognitum, et non esse, quando non est, posito quod obiectum corrumpatur.</p> | <p>Tunc est idem dicendum per omnia, sicut illa cognitio esset supernaturaliter causata. Quia per illam possum iudicare rem esse, quando est, quantumcumque distet obiectum cognitum, et non esse, quando non est, posito quod obiectum corrumpatur.</p> |
| 14 | <p>Et sic potest aliquo modo concedi quod per cognitionem naturalem intuitivam iudico rem non esse, quando non est, quia per cognitionem naturaliter causatam, licet supernaturaliter conservatam.</p> | <p>Et sic potest concedi aliquo modo quod per cognitionem naturalem intuitivam iudico rem non esse, quando non est, quia per cognitionem naturaliter causatam, licet supernaturaliter conservatam.</p> |
| 15 | <p>Sic igitur patet quod cognitio intuitiva est illa, per quam rem esse cognosco, quando est, et non esse, quando non est. Sed cognitio abstractiva est illa, per quam non iudicamus rem, quando est esse, et hoc sive sit naturalis sive sit supernaturalis.</p> | <p>Sic igitur patet quod cognitio intuitiva est illa, per quam cognosco rem esse, quando est, et non esse, quando non est. Sed cognitio abstractiva est illa, per quam iudicamus rem, quando est, esse et, quando non est, non esse, et hoc sive sit naturalis sive supernaturalis.</p> |

| | | |
|----|---|---|
| 16 | <p>Sed intuitiva subdividitur, quia quaedam est perfecta, quaedam imperfecta. Perfecta cognitio intuitiva est illa, de qua dictum est, quod est cognitio experimentalis, qua cognosco rem esse etc. Ista cognitio est causa propositionis universalis, quae est principium artis et scientiae, I Metaphysicae et II Posteriorum²¹⁶, id est est causa assensus propositioni universali, formatae, stante cognitione intuitiva perfecta. Cognitio autem intuitiva imperfecta est illa, per quam iudicamus rem aliquando fuisse vel non fuisse; et haec dicitur cognitio recordativa, ut quando video aliquam rem intuitive, generatur habitus inclinativus ad cognitionem abstractivam, mediante qua iudico et assentio quod talis res aliquando fuit, quia aliquando vidi eam’.</p> | <p>Sed intuitiva subdividitur, quia quaedam est perfecta, quaedam imperfecta. Perfecta cognitio intuitiva est illa, de qua dictum est quod est cognitio experimentalis, qua cognosco rem esse etc. Et illa cognitio est causa propositionis universalis, quae est principium artis et scientiae I Metaphysicae et II Posteriorum²¹⁷, id est est causa assensus propositionis universalis formatae, stante cognitione intuitiva perfecta. Cognitio autem intuitiva imperfecta est illa, per quam iudicamus rem aliquando fuisse vel non fuisse. Et haec dicitur cognitio recordativa, ut quando video aliquam rem intuitive, generatur habitus inclinans ad cognitionem abstractivam, mediante qua iudico et assentio quod talis res aliquando fuit, quia aliquando vidi eam.</p> |
| 17 | <p>Et est hic notandum quod, stante cognitione intuitiva alicuius rei et habita simul et semel cognitione abstractivam eiusdem rei, et illa cognitio abstractiva est causa partialis, concurrens cum intellectu ad generandum habitum inclinantem ad cognitionem, intuitivam imperfectam, per quam iudico rem aliquando fuisse. Cuius ratio est, quia habitus semper generatur ex actibus inclinantibus ad actus consimiles eiusdem speciei. Sed huiusmodi non est cognitio intuitiva perfecta, quia intuitiva perfecta et imperfecta sunt cognitiones alterius rationis, quia cognitio intuitiva imperfecta est simpliciter cognitio abstractiva, non autem intuitiva perfecta. Et [intuitiva perfecta et] abstractiva sunt alterius rationis; igitur etc.</p> | <p>Et est hic notandum quod, stante cognitione intuitiva alicuius rei, habeo simul et semel cognitionem abstractivam eiusdem rei. Et illa cognitio abstractiva est causa partialis, concurrens cum intellectu ad generandum habitum inclinantem ad cognitionem intuitivam imperfectam, per quam iudico rem aliquando fuisse. Cuius ratio est quia habitus semper generatur ex actibus inclinantibus ad consimiles actus eiusdem speciei. Sed huiusmodi non est cognitio intuitiva, quia intuitiva perfecta et imperfecta sunt cognitiones alterius rationis, quia cognitio intuitiva imperfecta est simpliciter cognitio abstractiva. Nunc autem intuitiva perfecta et abstractiva sunt alterius rationis; igitur etc.</p> |

²¹⁶ *Ibidem*, II, 3, 90 a 35-36; n. 15-16; 71; 90 b 24-28; n. 20-2; 72; 90 b 34-36; n. 9-11; 73.

²¹⁷ *Ibidem*, I, 89 b 27-31; n. 7-11; 69; II, 2, 90 a 16-18; n. 18-20; 70.

| | | |
|---|---|--|
| 18 | <p>Si igitur ex cognitione intuitiva perfecta generatur habitus aliquis, ille solum inclinabit ad cognitionem intuitivam perfectam et non ad imperfectam, quia sunt alterius rationis. Igitur, si habitus inclinans cognitionem intuitivam imperfectam generatur ex aliquo actu cognitivo, illa cognitio erit abstractiva, et illa erit simul cum cognitione intuitiva perfecta, et statim post cognitionem intuitivam perfectam, sive obiectum destruat sive fiat absens, potest intellectus eandem rem, quam prius vidi intuitive, considerare et formare hoc complexum ‘haec res aliquando fuit’ et assentire evidenter, sicut quilibet experitur in se ipsis.</p> | <p>Si igitur ex cognitione intuitiva perfecta generatur habitus aliquis, ille solum inclinabit ad cognitionem intuitivam perfectam et non ad imperfectam, quia sunt alterius rationis. Igitur, si habitus inclinans ad cognitionem intuitivam imperfectam, generatur ex aliquo actu cognitivo, illa cognitio erit abstractiva, et illa erit simul cum cognitione intuitiva perfecta, quia statim post cognitionem intuitivam perfectam, sive obiectum destruat sive fiat absens, potest intellectus eandem rem, quam prius vidit intuitive, considerare et formare hoc complexum ‘haec res aliquando fuit’, et assentire evidenter, sicut quilibet experitur in se ipso.</p> |
| 19 | <p>Igitur oportet ponere aliquem habitum inclinantem ad istum actum, quia, ex quo intellectus potest modo prompte elicere istum actum post cognitionem intuitivam et ante non potuit, igitur nunc aliquid inclinans intellectum ad illum actum, quod prius non fuit. Illud autem vocamus habitum. Sed iste habitus sic inclinans intellectum non potest causari a cognitione intuitiva perfecta, sicut ostensum est, nec ab aliqua cognitione abstractiva sequente cognitionem intuitivam, quia ista est prima, per positum, quae habetur post cognitionem intuitivam. Igitur oportet necessario ponere aliquam cognitionem abstractivam simul cum cognitione intuitiva existente, quae est causa partialis cum intellectu ad generandum istum habitum sic inclinantem intellectum.</p> | <p>Igitur oportet ponere aliquem habitum inclinantem ad istum actum, quia ex quo intellectus potest modo prompte elicere istum actum post cognitionem intuitivam et ante non potuit, igitur nunc est aliquid inclinans intellectum ad istum actum, quem prius non fuit. Illud autem vocamus habitum. Sed iste habitus, sic inclinans intellectum, non potest causari a cognitione intuitiva perfecta, sicut ostensum est; nec ab aliqua cognitione abstractiva, sequente cognitionem intuitivam, quia illa est prima per positum, quae habetur post cognitionem intuitivam. Igitur oportet necessario ponere aliquam cognitionem abstractivam simul cum cognitione intuitiva perfecta existente, quae est causa partialis cum intellectu ad generandum istum habitum, sic intellectum inclinantem. Ponendo cognitionem intuitivam habere secum [procedit inferius]</p> |
| <p>[hic prosequitur] necessario cognitionem abstractivam incomplexam, tunc cognitio intuitiva erit causa partialis illius cognitionis abstractivae, et illa abstractiva erit causa partialis respectu habitus inclinantis ad aliam cognitionem abstractivam incomplexam consimilem illi cognitione, ex qua generatur habitus sic inclinans. Et tunc intellectus, formato hoc complexo ‘haec res – cuius est haec cognitio abstractiva incomplexa – fuit’, potest virtute illius cognitionis incomplexae evidenter assentire quod haec res fuit, et sic debet intelligi.</p> | | |

| | | |
|----|--|--|
| 20 | <p>Si dicatur quod ex cognitione intuitiva perfecta frequenter elicitata potest habitus generari sicut ex cognitione abstractiva frequenter elicitata, igitur non oportet ponere cognitionem abstractivam cum intuitiva; respondeo quod ex nulla cognitione intuitiva sensitiva vel intuitiva intellectiva potest generari habitus, quia, si sic, aut ille habitus inclinatur ad cognitionem abstractivam aut intuitivam. Non ad abstractivam propter causam iam dictam, quia sunt alterius speciei, nec intuitivam, quia non experimur quod magis inclinatur ad cognitionem intuitivam post talem cognitionem frequenter habitam quam ante omnem cognitionem intuitivam, quia, sicut prima cognitio intuitiva non potest naturaliter causari sine existentia obiecti et praesentia ita nec quaecunque alia, nec plus inclinatur ex tali cognitione frequenti quam in principio.</p> | <p>Si dicas quod, apprehensis terminis primi principii, et formato complexo, statim intellectus assentit sibi. Nec plus inclinatur intellectus ad assentiendum post multos assensus quam ante omnem assensum, tamen ex illis actibus assentiendi generatur habitus in intellectu, igitur eodem modo potest esse de cognitione intuitiva. Respondeo : licet ille habitus non ponatur propter inclinationem nec propter experientiam, tamen ponitur propter rationem evidenter inducentem ad hoc. Sed in cognitione intuitiva nec includit experimentum nec ratio evidens ad ponendum ibi habitum, igitur etc. Vel potest dici quod oportet ponere habitum generatum ex illis actibus propter experientiam, scilicet quia quilibet experitur quod magis et firmiter inclinatur ad assentiendum post habitum quam ante.</p> <p>Si dicas quod ex cognitione intuitiva perfecta frequenter elicitata potest generari habitus sicut ex cognitione abstractiva frequenter [procedit inferius]</p> |
| | <p>[hic prosequitur] elicitata, igitur non oportet ponere cognitionem abstractivam cum intuitiva, respondeo quod ex nulla cognitione intuitiva sensitiva vel intellectiva generari potest habitus. Quia, si sic, aut ille habitus inclinatur ad cognitionem abstractivam aut intuitivam. Non abstractivam propter causam iam dictam, quia sunt alterius speciei. Nec intuitivam, quia nullus experitur quod magis inclinatur ad cognitionem intuitivam post talem cognitionem frequenter habitam quam ante omnem cognitionem intuitiva. Quia, sicut prima cognitio intuitiva non potest naturaliter causari sine existentia obiecti et praesentia, ita nec quaecumque alia, nec plus inclinatur ex tali cognitione frequenti quam in principio.</p> | |
| 21 | <p>Sed de cognitione abstractiva aliter est, quia post primam cognitionem intuitivam contractam experitur quis quod magis inclinatur ad intelligendum illam rem, quam prius vidit, quam ante omnem cognitionem intuitivam. Sed hoc non potest esse per habitum generatum ex cognitione intuitiva, ut probatum est, ideo generatur ex cognitione abstractiva simul existente cum cognitione intuitiva, et respectu illius cognitionis est cognitio intuitiva causa partialis, sed non respectu habitus non generati per talem cognitionem abstractivam.</p> | <p>Sed de cognitione abstractiva aliud est, quia post primam cognitionem intuitivam habitam experitur quis quod magis inclinatur ad intelligendum illam rem quam prius vidit quam ante omnem cognitionem intuitivam. Sed hoc non potest esse per habitum generatum ex cognitione intuitiva, ut probatum est, igitur generatur ex cognitione abstractiva simul existente cum cognitione intuitiva et respectu illius cognitionis est cognitio intuitiva causa partialis, licet non respectu habitus generati per talem cognitionem abstractivam.</p> |

| | | |
|----|--|---|
| 22 | <p>Aliter potest dici quod habitus generatur ex cognitione intuitiva, sicut ex causa partiali, et negari illa cognitio abstractiva, quae simul ponitur cum intellectiva, tum quia nullus experitur quod simul et semel cognoscat eandem rem intuitive et abstractivae, et hoc loquendo de cognitione abstractiva rei in se, immo potius experitur homo oppositum, maxime cum istae cognitiones habeant aliquas condiciones oppositas, tum quia omnis cognitio abstractiva potest manere, destructa intuitiva, ista autem, quae ponitur, non potest manere, quia tunc per eam iudicaret intellectus quod illa res, cuius est illa cognitio, aliquando fuit, et sic ipsa esset cognitio intuitiva imperfecta, ad quam ponitur habitus generatus ex cognitione abstractiva, manente cum intuitiva perfecta, inclinans. Igitur, ut videtur, cum cognitione intuitiva perfecta non manet cognitio abstractiva eiusdem rei, sed ex cognitione intuitiva frequentata generatur habitus inclinans ad cognitionem abstractivam sive intuitivam imperfectam.</p> | <p>Aliter potest dici quod habitus generatur ex cognitione intuitiva sicut ex causa partiali et negari illa cognitio abstractiva, quae simul ponitur cum intuitiva. Tum quia nullus experitur quod simul et semel cognoscat eandem rem intuitive et abstractivae, et hoc loquendo de cognitione abstractiva rei in se, immo potius experitur homo oppositum, maxime cum illae cognitiones habeant aliquas condiciones oppositas. Tum quia omnis cognitio abstractiva potest manere, destructa intuitiva; ista autem, quae ponitur, non potest manere, quia tunc per eam iudicaret intellectus quod illa res, cuius est illa cognitio, aliquando fuit. Et sic ipsa esset cognitio intuitiva imperfecta, ad quam ponitur habitus generatus ex cognitione abstractiva manente cum intuitiva perfecta inclinans. Igitur, ut videtur, cum cognitione intuitiva perfecta non manet cognitio abstractiva eiusdem rei, sed ex cognitione intuitiva frequentata generatur habitus inclinans ad cognitionem abstractivam sive intuitivam imperfectam.</p> |
| 23 | <p>Si dicas quod habitus, secundum Philosophum, II Ethicorum, inclinatur ad actus consimiles, ex quibus generatur, et non ad actus alterius rationis, sicut est in proposito de cognitione intuitiva et abstractiva, respondeo: verum est generaliter, quando habitus non generatur ex cognitione intuitiva tamquam ex causa partiali; sed quando cognitio intuitiva est causa partialis, sicut est in proposito, tunc non est verum.</p> | <p>Si dicas quod habitus, secundum Philosophum II Ethicorum, inclinatur ad actum consimiles, ex quibus generatur, et non ad actus alterius rationis, sicut est in proposito de cognitione intuitiva et abstractiva, respondeo: verum est generaliter, quando habitus non generatur ex cognitione intuitiva tamquam ex causa partiali. Sed quando cognitio intuitiva est causa partialis, sicut est in proposito, tunc non est verum²¹⁸.</p> |
| 24 | <p>Minus enim inconveniens apparet quod inclinans ad cognitionem abstractivam generetur ex cognitione intuitiva tamquam ex causa partiali quam quod cum intuitiva maneat semper cognitio abstractiva generativa habitus, cum tamen experientia non ducat ad hoc, sed potius ad oppositum.</p> | <p>Minus enim inconveniens apparet quod habitus inclinans ad cognitionem abstractivam generetur ex cognitione intuitiva tamquam ex causa partiali quam quod cum intuitiva maneat semper cognitio abstractiva generativa habitus, cum tamen experientia non sit ad hoc, sed potius ad oppositum.[...]</p> |

²¹⁸ Aristoteles, *Metaphysica* I, 1, 980 a 27 - 981 a 16; *Analytica Posteriora* II, 19, 100 a 4-9.

| | | |
|----|---|---|
| 25 | His visis, probo aliquas conclusiones. Prima est quod ad cognitionem [intuitivam] habendam non oportet aliquid ponere praeter intellectum et rem cognitam, et nullam speciem penitus. Hoc probatur, quia frustra fit per plura quod potest aequaliter fieri per pauciora. Sed per intellectum et rem visam, sine omni specie, potest fieri cognitio intuitiva, igitur etc. | His visis, probo aliquas conclusiones. Prima est quod ad cognitionem intuitivam habendam non oportet aliquid ponere praeter intellectum et rem cognitam, et nullam speciem penitus. Hoc probatur, quia frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora. Sed per intellectum et rem visam, sine omni specie, potest fieri cognitio intuitiva; igitur etc. |
| 26 | Assumptum probatur, quia, posito activo sufficienti et passivo sufficienti et ipsis approximatis, potest poni effectus sine omni alio. Intellectus autem agens cum obiecto sunt agentia sufficientia respectu illius cognitionis, et possibilis est passivus sufficiens, igitur etc. | Assumptum probatur: quia, posito activo sufficienti et passivo et ipsis approximatis, potest poni effectus sine omni alio. Intellectus autem agens cum obiecto sunt agentia sufficientia respectu illius cognitionis, possibilis est patiens sufficiens; igitur etc. |
| 27 | Item, nihil est ponendum necessario requiri ad aliquem effectum, nisi ad illud inducat ratio certa, procedens ex per se notis, vel experientia certa; sed neutrum istorum inducit ad ponendum speciem; igitur etc. | Item, nihil est ponendum necessario requiri naturaliter ad aliquem effectum, nisi ad illud inducat ratio certa procedens ex per se notis vel experientia certa; sed neutrum istorum inducit ad ponendum speciem; Igitur etc. |
| 28 | Assumptum probatur, quia experientia non inducit ad hoc, quia illa includit notitiam intuitivam, sicut si aliquis experitur aliquid esse album, videt albedinem sibi inesse, sed nullus videt speciem intuitive; igitur experientia non inducit ad hoc. | Assumptum probatur: quia experientia non inducit ad hoc, quia illa includit notitiam intuitivam. Sicut si aliquis experitur aliquid esse album, videt albedinem sibi inesse; sed nullus videt speciem intuitive; igitur experientia non inducit ad hoc.- |
| 29 | Si dicas quod in aliis potentiis sensitivis a visu, tam interioribus quam exterioribus, est cognitio experimentalis, non tamen intuitiva, respondeo quod in quolibet sensu, qui habet aliquam cognitionem, virtute cuius potest cognoscere rem esse, quando est, et non esse, quando non est, cognitio intuitiva et experimentalis, quia illa est cognitio intuitiva, per quam sic cognosco rem esse vel non esse, et ideo concedo quod in omni sensu, tam interiori quam exteriori, est cognitio intuitiva, hoc est talis cognitio, virtute cuius potest praedicto modo cognoscere rem esse vel non esse, licet non sit cognitio intuitiva ocularis. | Si dicas quod in aliis potentiis sensitivis a visu, tam interioribus quam exterioribus, est cognitio experimentalis, non tamen intuitiva, respondeo quod in quolibet sensu, qui habet aliquam cognitionem, virtute cuius potest cognoscere rem esse, quando est, et non esse, quando non est, est cognitio intuitiva et experimentalis. Quia illa est cognitio intuitiva, per quam sic cognosco rem esse vel non esse. Et ideo concedo quod in omni sensu tam interiori quam exteriori est cognitio intuitiva, hoc est talis cognitio, virtute cuius potest praedicto modo cognoscere rem esse vel non esse, licet non sit cognitio intuitiva ocularis. |
| 30 | Et in hoc decipiuntur multi, credunt enim quod non sit aliqua cognitio intuitiva, nisi ocularis, quod falsum est. | Et in hoc decipiuntur multi: credunt enim quod nulla sit cognitio intuitiva nisi ocularis, quod falsum est. |

| | | |
|----|---|---|
| 31 | <p>Nec est ratio procedens ex per se notis, quae inducit ad hoc, quia nulla ratio potest probare quod requiritur [alius], nisi quod habeat efficaciam, quia omnis effectus sufficienter dependet ex suis causis essentialibus secundis et Deo. Sed quod aliquid creatum sit efficiens, non potest demonstrative probari, sed solum secundum experientiam, per hoc scilicet quod ad eius praesentiam sequitur effectus et ad eius absentiam non. Nunc autem sine specie ad praesentiam obiecti cum intellectu sequitur actus intelligendi, ita bene sicut cum illa specie. Item, si species ponatur necessario requiri ad cognitionem intuitivam sicut causa eius efficiens, cum illa species possit conservari in absentia illius obiecti, posset naturaliter causare cognitionem intuitivam in absentia rei, quod est falsum et contra experientiam.</p> | <p>Nec etiam ratio procedens ex per se notis inducit ad hoc. Quia nulla ratio potest probare quod requiratur nisi quod habeat efficaciam. Quia omnis effectus sufficienter dependet ex causis suis essentialibus secundum Ioannem; sed quod aliquid creatum sit causa efficiens non potest demonstrative probari, sed solum per experientiam, per hoc scilicet quod ad eius praesentiam sequitur effectus et ad eius absentiam non. Nunc autem sine omni specie ad praesentiam obiecti cum intellectu sequitur actus intelligendi ita bene sicut cum illa specie; igitur etc. Item, si species ponatur necessario requiratur ad cognitionem intuitivam sicut eius efficiens, cum illa species possit conservari in absentia obiecti, posset causare naturaliter cognitionem intuitivam in absentia rei; quod falsum est et contra experientiam.</p> |
| 32 | <p>Secunda conclusio est quod ad habendum cognitionem abstractivam oportet necessario ponere aliquid praevium praeter obiectum et intellectum. Quod probatur, quia omnis potentia, quae potest in aliquem actum, in quem prius non potuit, manente obiecto et potentia aequaliter nunc ut prius, habet nunc aliquid, quod prius non habuit. Sed intellectus habens cognitionem intuitivam potest in abstractivam, et non habens eam non potest, manente obiecto aequaliter in se post notitiam intuitivam et ante. Igitur, habita cognitione intuitiva, aliquid relinquitur in intellectu, ratione cuius potest in cognitionem abstractivam et prius non potuit; igitur praeter obiectum et potentiam necesse est ponere aliquid aliud ad habendum cognitionem abstractivam.</p> | <p>Secunda conclusio est quod ad habendum cognitionem abstractivam oportet necessario ponere aliquid praevium praeter obiectum et intellectum. Hoc probatur, quia omnis potentia, quae tunc potest in aliquem actum, in quem prius non potuit, manente obiecto et potentia aequaliter nunc ut prius, habet nunc aliquid, quod prius non habuit. Sed intellectus habens notitiam intuitivam potest in cognitionem abstractivam et non habens non potest, manente obiecto aequaliter in se post notitiam intuitivam et ante. Igitur, habita cognitione intuitiva, aliquid relinquitur in intellectu, ratione cuius potest in cognitionem abstractivam et prius non potuit. Igitur praeter obiectum et potentiam necesse est ponere aliquid aliud ad habendum cognitionem abstractivam.</p> |

| | | |
|----|--|---|
| 33 | <p>Item, secundum Phylosophum, II De anima²¹⁹, quando aliquid est in potentia essentiali et accidentali, aliquid habet, quando est in potentia accidentali, quod non habuit, quando fuit in potentia essentiali. Hoc enim est verum etiam in potentia sensitiva, nam phantasia post cognitionem intuitivam sensus particularis potest in illud sensatum in absentia sensibilis, in quod non potuit ante cognitionem intuitivam sensus particularis, et per consequens in virtute phantastica aliquid relinquitur mediante cognitione intuitiva sensus particularis, quod prius ibi non fuit, quia aliter in absentia rei sensibilis non posset phantasia habere actum circa illud. Igitur eodem modo est de intellectu, qui ante cognitionem intuitivam est in potentia essentiali ad cognitionem abstractivam, sed, ipsa habita, est in potentia accidentali, ita quod potest in cognitionem abstractivam et prius non potuit; ergo etc. Hoc etiam patet de anima separata, quae post cognitionem intuitivam potest in aliquam cognitionem abstractivam, in quam prius non potuit, et per hoc aliquid derelinquitur. Igitur eodem modo est de intellectu nostro.</p> | <p>Item, secundum Philosophum II De anima, quando aliquid est in potentia essentiali et accidentali, aliquid habet, quando est in potentia accidentali quod non habuit, quando fuit in potentia essentiali. Hoc enim est verum etiam in potentia sensitiva. Nam phantasia post cognitionem intuitivam sensus particularis potest in illud sensatum in absentia rei sensibilis, in quod non potuit ante cognitionem intuitivam sensus particularis. Et per consequens in virtute phantastica aliquid relinquitur mediante cognitione intuitiva sensus particularis, quod prius ibi non fuit, quia aliter in absentia rei sensibilis non posset phantasia habere actum circa illud. Igitur eodem modo est de intellectu, qui ante cognitionem intuitivam est in potentia essentielle ad cognitionem abstractiva; sed ipsa habita, est in potentia accidentali, ita quod potest in cognitionem abstractiva et prius non potuit; igitur etc. Hoc etiam patet de anima separata, quae post cognitionem intuitivam potest in aliquam cognitionem abstractivam, in quam prius non potuit, et hoc propter aliquid derelictum, igitur eodem modo est de intellectu nostro.</p> |
| 34 | <p>Tertia conclusio est quod illud derelictum non est species, sed habitus. Sic probatur, quia illud, quod derelinquitur ex actibus, sequitur actus, species autem non sequitur, sed praecedit; igitur etc.</p> | <p>Tertia conclusio est quod illud derelictum non est species, sed habitus. Hoc probatur, quia illud, quod derelinquitur ex actibus, sequitur actus ; species autem non sequitur, sed praecedit; igitur etc.;</p> |

²¹⁹ Idem, *Metaphysica* I, 1, 980 b 25 – 981 a 16; *Analytica Posteriora* II, 19, 100 a 3-9.

| | | |
|----|--|---|
| 35 | <p>Item, quando aliquid est in potentia accidentali respectu cognitionis, non oportet aliud ponere quam illud, quod est in potentia accidentali ad elicendum actum. Sed, posito ab habitu in intellectu inclinante ad aliquam cognitionem, est intellectus in potentia accidentali; igitur praeter habitum non oportet aliud ponere in intellectu. Assumptum patet secundum Philosophum, III De anima²²⁰, ubi dicit quod aliter est intellectus in potentia ad (ante) addiscere vel invenire quam post, quia ante est in potentia essentiali, et postquam per actum aliquem aliquis habitus derelinquitur, tunc est in potentia accidentali ad actum consimilem; igitur intellectus per habitum generatum ex actu est in potentia accidentali. Unde numquam experitur aliquis se esse in potentia accidentali respectu cognitionis, nisi post intellectionem. Si enim ponantur multae species praeviae actui intelligendi, si nullum actum habeat intellectus, non plus est nec experitur se esse in potentia accidentali respectu alterius cognitionis; et hoc non potest nisi per habitum derelictum in intellectu ex primo actu.</p> | <p>Item, quando aliquid est in potentia accidentali respectu cognitionis, non oportet aliud ponere quam illud, per quod est in potentia accidentali ad elicendum actum. [...]</p> |
| 36 | <p>Item, omnia illa, quae possunt salvari per speciem, possunt salvari per habitum; igitur habitus requiritur et species superfluit. Quod autem necessario requiratur ad intelligendum aliquod obiectum, patet, quia, si non, sed sufficit tantum species, si species corrumpatur post multas intellectiones, non aliter possem intelligere illud obiectum, cuius est illa species quam ante omnem intellectionem, quia habitus non ponitur et species corrumpitur. Haec conclusio videtur absurda.</p> | <p>Item, omnia illa, quae possunt salvari per speciem, possunt salvari per habitum; igitur habitus requiritur et species superfluit. Quod autem habitus requiratur necessario ad intelligendum aliquod obiectum patet, quia, si non, sed sufficit tantum species, igitur, si species corrumpatur post multas intellectiones, non aliter possem intelligere illud obiectum, cuius est illa species, quam ante omnem intellectionem, quia habitus non ponitur et species corrumpitur. Haec conclusio videtur absurda.</p> |

²²⁰ Idem, *Ethica Nicomachea*, translatio Roberti Grossetestae Lincolnensis sive *Liber Ethicorum*, Recensio pura, ed. R.-A. GAUTHIER, Leiden-Bruxelles 1972-1974, II, 1, 1103 a 14 – b 25.

| | | |
|----|---|--|
| 37 | Si dicas quod per multas cognitiones augetur species, contra: tunc per talem augmentationem speciei semper inclinatur intellectus plus ad intelligendum, et per consequens totaliter superflueret habitus, qui ab omnibus ponitur, et sic superflue ponitur species vel habitus. Cum igitur habitus ponatur ab omnibus et non species, videtur quod species superfluit. | Si dicas quod per multas cognitiones augetur species, contra: tunc per talem argumentationem speciei semper inclinatur intellectus plus ad intelligendum, et per consequens totaliter superflueret habitus, qui ab omnibus ponitur. Et sic vel superflue ponitur species vel habitus. Cum igitur habitus ponatur ab omnibus et non species, videtur quod species superfluit. |
| 38 | Item, species non ponitur nisi propter assimilationem vel causationem intellectionis, vel propter repraesentationem obiecti, vel propter determinationem potentiae, vel propter unionem moventis et moti. Propter ista maxime ponitur species. Sed propter nullam istorum oportet ponere; igitur non est ponenda. Non propter assimilationem, quia illa assimilatio aut est in essentia et natura intellectuali, per quam assimilatur obiecto cognito, aut est assimilatio effectus ad causam. Non primo modo, quia, si intellectus intelligat substantiam, tunc magis assimilatur in natura sua propria obiecto, quod est substantia quam per species, quae est accidens, quia minus assimilatur accidens substantiae quam substantia substantiae. Nec secundo modo, quia sic est illa assimilatio passi ad agens, per hoc quod recipit aliquem effectum causatum ab agente. Sed isto modo assimilatur intellectus sufficienter per intellectionem causatum ab obiecto et receptam in intellectu, igitur species non requiritur. | Item, species non ponitur nisi propter assimilationem vel propter causationem intellectionis, vel propter repraesentationem obiecti, vel propter determinationem potentiae, vel propter unionem moventis et moti. Propter ista maxime ponuntur species. Sed propter nullum istorum oportet ponere, igitur non est ponenda. Non propter assimilationem, quia illa assimilatio aut est in essentia et natura intellectuali, per quam assimilatur obiecto cognito, aut est assimilatio effectus ad causam. Non primo modo, quia, si intellectus intelligat substantiam, tunc magis assimilatur in natura sua propria obiecto, quod est substantia, quam per speciem, quae est accidens, quia minus assimilatur accidens substantiae, quam substantia substantiae. Nec secundo modo, quia sic est illa assimilatio passi ad agens per hoc, quod recipit aliquem effectum causatum ab agente. Sed isto modo assimilatur intellectus sufficienter per intellectionem causatam ab obiecto et receptam in intellectu, igitur non requiritur species. |
| 39 | Si dicas quod requiritur species praevia ad assimilandum ipsum actum, agens intellectionem ipsi passo, ad hoc quod recipiat intellectionem, contra: eodem modo dicam ego quod illa species recepta requirit illam speciem praeviam ad assimilandum intellectui agenti, ad hoc quod recipiat istam speciem, quam tu ponis, et illa adhuc requirit aliam speciem, et sic in infinitum. | Si dicas quod requiritur species praevia ad assimilandum ipsum obiectum agens intellectionem ipsi passo ad hoc, quod recipiat intellectionem, contra: eodem modo dicam ego quod illa species recepta requirit aliam speciem praeviam ad assimilandum intellectum agendi ad hoc, quod recipiat istam speciem, quam tu ponis, et illa species adhuc requirit aliam et sic in infinitum. |

| | | |
|----|--|---|
| 40 | Item, tanta assimilatio requiritur in notitia intuitiva quanta in abstractiva; sed in intuitiva non requiritur aliquid praeivum cognitioni assimilans; igitur nec in abstractiva. | Item, tanta assimilatio requiritur in notitia intuitiva quanta in abstractiva, sed in intuitiva non requiritur aliquid praeivum cognitioni assimilans; igitur nec in abstractiva. |
| 41 | Item, in sensu tactus non oportet ponere aliquam speciem praeivam ipsi sensationi caloris propter assimilationem; igitur nec in intellectu. Consequentia patet per illud III De anima ²²¹ : ‘Sicut anima per sensum est omnia sensibilia, ita per intellectum est omnia intelligibilia. | Item, in sensu tactus non oportet ponere aliquam speciem praeivam ipsi sensationi caloris propter assimilationem, igitur nec in intellectu. Consequentia patet per illud III De anima: sicut anima per sensum est omnia sensibilia, ita per intellectum est omnia intelligibilia ²²² . |
| 42 | Si dicas quod in visu ponitur species, dico quod non, sicut patebit postea. | Si dicas quod in visu ponitur species, dico quod non, sicut post patebit. |
| 43 | Nec debet poni species propter repraesentationem, quia in notitia intuitiva non requiritur aliquid repraesentans aliud ab obiecto et actu, ut similiter patet; igitur nec in abstractiva, quae immediate sequitur intuitivam, requiritur aliud praeter obiectum et actum. Consequentia patet, quia, sicut obiectum sufficienter repraesentat se in una cognitione ita in alia, quae immediate sequitur intuitivam. | Nec debet species poni propter repraesentationem,, quia in notitia intuitiva non requiritur aliquid repraesentans, aliud ab obiecto et actu, ut supra patet. Igitur nec in abstractiva, quae immediate sequitur intuitivam, requiritur aliud praeter obiectum et actum. |
| 44 | Item, repraesentatum debet esse prius cognitum, aliter repraesentans nunquam ducet in cognitionem repraesentati tamquam in simile. | Item, repraesentatum debet esse prius cognitum; aliter repraesentans numquam duceret in cognitionem repraesentati tamquam in simile. |
| 45 | Exemplum: statua Herculis nunquam me duceret in cognitionem Herculis, nisi prius vidissem Herculem, nec aliter possum scire, utrum statua sit sibi similis aut non. | Exemplum: statua Herculis numquam duceret me in cognitionem Herculis, nisi vidissem Herculem, nec aliter possum scire utrum statua sit sibi similis aut non. |
| 46 | Sed secundum ponentes speciem, species est aliquid praeivum omni actu intelligendi obiectum, igitur non potest poni propter repraesentationem obiecti. | Sed secundum ponentes speciem, species est aliquid praeivum omni actu intelligendi obiectum, igitur non potest poni representationem obiecti. |

²²¹ Idem, *De anima*, ed. W. D. Ross, Oxford 1984, III, 46, 439 b 27-29, II, 5, 417 a 21 - b 2.

²²² *Ibidem*, 5, 417 a 21 - b 2.

| | | |
|---|---|--|
| 47 | Item, si ponitur propter repraesentationem, hoc non, nisi quia distans non potest in distans. Sed hoc est falsum. Nam, si obiectum distans non posset agere in intellectum, causando in [procedit inferius] | Item, si ponatur propter repraesentationem, hoc non est nisi quia distans non potest agere in distans. Sed hoc est falsum, sicut post patebit. [...] |
| [hic proseguitur] eo intellectionem, nisi prius causet speciem, quia oportet agens esse praesens passo in se vel in alio, igitur eodem modo obiectum distans non potest causare speciem in intellectu, nisi ponendo aliquid praeivium in intellectu speciei, per quod obiectum est praesens intellectui ad causandum illam speciem, et similiter ante illam oportet ponere alium, et sic in infinitum. Igitur, si obiectum distans potest causare speciem in intellectu sine aliquo praeivio, per quod fit praesens, igitur eodem modo potest immediate causare intellectionem sine aliqua specie praevia repraesentante. | | |
| 48 | Nec debet poni species propter causationem intellectionis, quia secundum eos corporale et materiale non potest agere in spirituali. Et ideo oportet ponere talem speciem in intellectu. Sed contra: sicut corporale et materiale non potest esse causa partialis immediata respectu intellectionis, quae recipitur in spirituali, quia in intellectu possibili, et est spiritualis qualitas, ita nec materiale potest esse causa partialis cum intellectu agente, concurrens ad producendum speciem, quae est spiritualis, in intellectu possibili, qui est etiam spiritualis. Et sicut tu ponis quod corporale potest esse causa partialis ad causandum speciem in spirituali, ita ponatur quod potest esse causa partialia ad causandum intellectionem in spirituali. | Nec debet poni species propter causationem intellectionis, quia secundum eos corporale et materiale non potest agere in spirituali, et ideo oportet ponere talem speciem in intellectu. Sed contra: sicut corporale et materiale non potest esse causa partialis immediata respectu intellectionis, quae accipitur in spirituali, quia in intellectu possibili – et est spiritualis qualitas – ita nec materiale potest esse causa partialis cum intellectu agente concurrens ad producendum speciem, quae est spiritualis, in intellectu possibili, qui est etiam spiritualis. Vel sicut tu ponis quod corporale potest esse causa partialis ad causandum speciem in spirituali, ita ego pono quod corporale est causa partialis ad causandum intellectionem in spirituali. |
| 49 | Si dicas quod natura intellectualis requirit materiale ad producendum speciem, ita dicam de intellectione. | Si dicas quod natura intellectualis requirit materiale ad producendum speciem, ita dicam ego de intellectione. |
| 50 | Nec debet poni species propter determinationem potentiae, quia omnis potentia passiva sufficienter determinatur per agens sufficiens, maxime quando ipsamet potentia est activa; sed agens sufficiens est obiectum et intellectus, ut probatum est; igitur etc. | Nec debet poni species propter determinationem potentiae, quia omnis potentia passiva sufficienter determinatur per agens sufficiens, maxime quando ipsamet potentia est activa. Sed agens sufficiens est obiectum et intellectus, ut probatum est, igitur etc. |

²²³ *Ibidem*, III, 8, 431 20-23.

²²⁴ *Ibidem*, 8, 413 b 21-23; Averroes, *In De anima*, 203.

| | | |
|----|--|---|
| 51 | Nec debet poni propter unionem obiecti cum potentia tamquam moventis et moti, quia tunc eodem modo arguerem quod ante illam speciem oportet ponere aliam, quia, ad hoc quod obiectum possit causare primam speciem in intellectu, requiritur quod uniatur, sicut requiritur modo, ad hoc quod causet intellectionem, et hoc erit per aliam speciem, et sic in infinitum. | Nec debet poni propter unionem obiecti cum potentia tamquam moventis et moti. Quia tunc eodem modo arguerem quod ante illam speciem oportet ponere aliam, quia ad hoc quod obiectum possit causare primam speciem in intellectu, requiritur quod uniatur sibi, sicut requiritur unio ad hoc quod causet intellectionem, et hoc erit per aliam speciem, et sic in infinitum. |
| 52 | Sic igitur patet quod habitus sit ponendus propter experientiam, non species. | Sic igitur patet quod habitus sit ponendus, propter experientiam, et non species. |